

† P. Carolus Reither (1880-1958)

(Vice-Provincia de Karlsbad)



P. Carolus Reither natus est die 7 nov. 1880 in Höflein, Moravia. Pater eius ludi-magister fuit; fratres et sorores Caroli numero 10 erant. Ipse undecim annos natus, in Iuvenatum de Katzelsdorf ingressus est. Vota perpetua anno 1898 emisit; et sacerdotio auctus est anno 1904. Per duos annos lector et socius fuit in Iuvenatu. Munere catechistae annos undecim magna cum laude functus est. Artis musicae peritissimus, totidem annos organo cantum regebat in eccllesia Mauternensi, et Leobii in paroecia Waasen. Anno 1918 in monasterium de Linz translatus est, ut praeasset societatibus operariorum, mulierum et iuuentutis. Etsi valde allectus magna et pulcherrima ecclesia, pluribus hominibus semper frequentata, tamen excenso animo cessit Patri, qui pro eo societatibus piis regendis vocatus est. P. Reither Superiori sincere declaraverat: « Numquam labore tali occupatus fui. Me gubernatore ipsae se dissolvent ». Mensibus paucis elapsis, Budweis in Bohemia venit. In Cecoslovachia usque ad annum 1945 mansit, quo expulsus cum sociis duobus Eggenburg venit, ubi amore vere fraterno exceptus est. Munere Rectoris in Grulich per sex annos functus est. Regimine P. Reither domus de Grulich laboribus apostolicis abundabat. Tres annos Superior fuit in Tasswitz. Superior Vice-Provinciae de Karlsbad fuit annis 1933-1936. Per plures annos Consultor designatus est.

Iam ante tempus tirocinii pietate excellebat. Inter optimos numerabatur. Personis alterius sexus obvius statim oculos in terram demisit. Muneris Superioris numquam cupidus erat. Ne munus Vice-provincialis ei imponeretur, vehementer oravit. Post tres annos adeptus est ut hoc honore liber evaserit. Regulas et Constitutiones diligentissime observabat. Quod etiam subditis inculcabat. Missis etiam brevioribus dimidiā partem horae adhibebat; a qua consuetudine nemo eum abducere potuit. Nova versione psalterii gaudio maximo affectus est; quia, ut confessus est, quid cum Deo loqueretur, demum bene intelligeret. Horas canonicas in horto deambulando recitare noluit, ne distraheretur. Sermones diligentissime elaborabat. Munus diurnum catechistae et studium indefessum

Iam ante tempus tirocinii pietate excellebat. Inter optimos numerabatur. Personis alterius sexus obvius statim oculos in terram demisit. Muneris Superioris numquam cupidus erat. Ne munus Vice-provincialis ei imponeretur, vehementer oravit. Post tres annos adeptus est ut hoc honore liber evaserit. Regulas et Constitutiones diligentissime observabat. Quod etiam subditis inculcabat. Missis etiam brevioribus dimidiā partem horae adhibebat; a qua consuetudine nemo eum abducere potuit. Nova versione psalterii gaudio maximo affectus est; quia, ut confessus est, quid cum Deo loqueretur, demum bene intelligeret. Horas canonicas in horto deambulando recitare noluit, ne distraheretur. Sermones diligentissime elaborabat. Munus diurnum catechistae et studium indefessum

dictioni eius emolumento egregio erant. Quare usque ad summam senectutem fideles, religiosae, sacerdotes atque etiam confratres libentissime ad sermones eius attendebant. Laudes B.M.V. per multos annos laetissimus occasione mensis maii praedicabat. Oblectamentum erat Patrem Reither feria secunda de virtutibus disputantem audire. Mirum in modum Sororibus S. Vincentii saltem per decem annos operam dabat. Cum ultimis annis e pulmonibus laboraret, in orationibus coram Sororibus habendis modus ei impositus est.

Tempore animi et corporis recreandi causa constituto socius optimus erat. Rebus iocosis et ridiculis, quibus suppeditabat, omnes laetitia afficiebat. Plus quam quattuor annos ad mensam iuxta P. Superiorem sedebat, qui curis occupatus linguae parcebat. Sed P. Reither, responso non accepto, in loquendo perseverabat. Constitutiones et consuetudines levari noluit. Ludi cuiuscumque modi inimicus vehementissimus mansit. Nimio animi ardore usque ad finem vitae paululum laborabat. Praeterea non raro obloqui solebat. Cum autem semper altiora quaereret, hisce vitiis gravior maestitia ei afferebatur quam aliis.

Spiritu S. Alfonsi necnon et S. Clementis Hofbauer, ex eadem regione orti ac ipse, in procuranda salute propria et fidelium, ac in morbis tolerandis mirum in modum imbutus erat. Prius ex intestino et e stomacho graviter laborans, cultros medicorum expertus est. Et ultimis annis vitae suae e pulmonibus laborabat. Quo morbo mortuus est. Insuper per plures menses gravissimos dolores e pede dextero perpessus est. Qui dolores tam magni erant, ut per totam noctem insomnis in lectulo iacuerit, aut per unam alteramve horam tantum dormire potuerit. Stomachus eius per plurimos annos cibos multos recusabat. Cibariis talibus abstinuit; alia non petiit. Neque de doloribus gravissimis neque de cibis stomacho suo ineptis questus est.

Donec in nosocomium translatus est, tempore sat longo quo e pede laborabat, sacra non intermisit, quamquam per totam missam sinistro pede stare debuit. Nocte diei sexti decimi mensis ianuarii (1958) mentis suae non compunctus est. Antea eodem die confessionem ultimam peregerat. Nocte diei septimi decimi mensis ianuarii placide in Domino obdormivit.

Si vitam P. Reither, secundum exemplar Ss. Redemptoris perbene perfectam, intuemini, eum a Ss. Redemptore benignissime exceptum esse, S.P.N. Alfonsi promissione freti, firmiter speramus.